

dit'. ex intentione et repulsione nascitur quaestio 'an occiderit'. hoc τὸ κρινόμενον Graeci dicunt. hic est status causae, qui nascitur ex intentione et repulsione. non omnis tamen status ex prima propositione et repulsione comprehenditur, sed sunt status, qui multis propositionibus et depulsionibus invicem frequentatis sero eruantur, ut 'caedem fecisti': si respondeat 'non feci', sicut supra, perventum ilico ad statum est, ut quaeratur 'an fecerit'. si vero, cum obiectum sit caedem factam, respondeatur factam quidem caedem, sed iure, quoniam adulter occisus sit, non iam ἀπόφασις a reo opposita erit, sed causativum, quod Graeci αἴτιον appellant. cui accusator aequae etiam non <per> cataphasin insistit, quia confessus est quod obiecerat, sed per synechon, quod est causativi destructio, id est, non habuisse eum potestatem perimendi, quoniam infamis fuerit: deinde referetur a reo, negatam non esse etiam infamibus perimendi potestatem. vides, quam sero et per quot gradus ad statum ventum sit, id est ad τὸ κρινόμενον, de quo partes congregiuntur, de quo iudex pronuntiaturus est, an etiam infamibus adulterum liceat occidere. hoc ergo interest, quod in superiore ex cataphasi et apophasi tantum, id est ex intentione et depulsione, τὸ κρινόμενον invenitur: in hac autem posteriore, relicta cataphasi et apophasi, ex causatione, ἐκ τοῦ αἰτίου, et continentia, ἐκ τοῦ συνέχοντος, τὸ κρινόμενον apparet.

Quintilianus dicit primitus inveniri statum, id est τὸ κρινόμενον, si cogites id, quod sive accusator vel petitor dicat, utrum controversum sit an confessum: si confessum sit, non potest ibi esse quaestio. transeundum ergo ad aliud et illud subtiliter intuendum, confessumne sit an controversum: ut ubi primum coeperit controversum esse, id est ubi primum non convenerit inter partes, ibi statuatur quaestio, id est status, hoc est τὸ κρινόμενον. hoc per exemplum insinuari manifestius potest; ut in superiore materia 'occidisti hominem' si respondeatur 'non occidi', contro-